

**QVAESITA
MISSIONARIORVM CHINÆ,
SEV SINARVM,**

**Sacrae Congregationi de Propaganda
Fide exhibita,**

CVM RESPONSIS AD EA:

*Decreto eiusdem Sacrae Congregatio-
nis approbatis.*

Ex exemplari impresso Romae ex Typographia sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Anno M.DC.XXXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Impressu Granate in Regia officina. Anno 1648.

**INFRASCRIPTAE PROPOSITIONES, A SA-
cra Congregatione de Propaganda Fide ad sanctum Officium trans-
missae; fuerunt a Patribus Qualificatoribus eiusdem sancti Officij
qualificatae, ut infra.**



PRIMO. Vtrū Christiani Chineses sint obligati ad obseruantiam Iuris Positiui, quantum ad Ieiunia, Confiteri semel in anno, & Communicare, Festa seruare, eo modo quo obligantur Inci in noua Hispania, & in Insulis Philippinarum, iuxta dispositionem Papae Pauli Tertij pro Indis Occidentalibus, & Meridionalibus?

Consueuerunt. Ius Positiuum Ecclesiasticum de Ieiunijs absolutē obligare

obligare Chineses Christianos, & à Missionarijs hoc esse illis
enuntiandum. Attenta verò Regionum, & Personarum qualita-
re, locū esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quæ fuit aliàs
à fel. rec. *Paulo Tertio* Indis concessa; qua obtēta, satagāt Missiona-
rij sanctæ Matris Ecclesiæ pietatē illis patefacere, quib⁹ ea, quæ in
vniuersū indixit, magna ex parte benignè remittit, & indulget.

Censuerunt etiam, præfatos Chineses obligari ad Sacramē-
talem Confessionem semel in anno, & Missionarios huiusmodi
obligationem debere eis notificare.

Idem prorsus censuerunt quoad Sacram Communionem se-
mel in Anno sumendam. Quò verò ad executionē tempore sta-
tuto, hoc est, in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum
adsit impedimentum, aut graue periculum imminet. Curan-
dum tamen vt infra duos, vel tres Menses ante, vel post, Pas-
chati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus
alio quouis tempore infra decursum vnus anni à Paschate in-
choandi omnino communicent.

Demum censuerunt, Chinēses ad fidem cōuersos teneri om-
ninò festa seruare, Missionarios etiā teneri; hoc eis notificare: lo-
cum tamē esse, si Sanctissimus annuat, limitandi eis numerū die-
rū festorū, iuxta formam Priuilegij à *Paulo Tertio* Indis concessi.

Secundò. Vtrum in prædicto Regno Ministri Euangelici, pro
nunc saltem, in Sacramento Baptismi possint abstinere ab impo-
nendo mulieribus Oleum sanctum Cathecumenorum, sputum
in auribus, & sal in ore. Insuper, & non administrare eisdem
mulieribus Sacramentum Extremæ Vnctionis. Ex ratio dubitadi
est, quia Chineses, magno zelo ducuntur erga vxores, filias, &
alias mulieres, & scandalum sument ex huiusmodi actionibus.

Censuerunt, & Sacramentalia in Baptismo mulierum esse ad-
hibenda, & Extremam Vnctionem esse mulieribus conferendā;
nec sufficere motiū in Dubitatione expressam, vt Missionarij,
quantum in se est, ab his abstineant. Curandum ergo, vt tam salu-
bres ritus, & Cæremoniæ introducātur, & observētur, ac Missio-
narij tali circūspeditione illa administrent, hominesquē talib⁹ in-
struāt documētis, vt ab omni suspitione in honestatis liberētur.

Tertio.

Tertio. In prefato Regno lege stabilitum est, vt in mutuo tri-
ginta procentū accipiatur, absque respectu lucri cessantis, aut dā-
ni emergentis. Queritur, vtrum Chinesibus sit licitum pro pe-
cuniarum suarum mutuo, licet non interueniat lucrum cessans,
aut damnum emergens, prædictam, pro centum, triginta quanti-
tatem Regni lege taxatā, accipere? Et causa dubitationis est, quia
in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet, quod qui
accipit mutuatum fugiat, vel quod tardet in soluendo, vel quod
necessariū sit coram Iudice repetere, vel propter alia huiusmodi.

Consuerunt, ratione mutui immediatē, & præcisē nihil esse acci-
piendū, vltra sortē principālē: si verō aliquid accipiāt ratione pe-
riculi probabiliter imminētis, prout in casu, nō esse inquietādos,
dūmodō habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis eius-
dē, ac seruata proportione inter periculū, & id quod accipitur.

Quarto. In Vniuerso Chinarū Regno domos publicas Vsuris
deputatas reperiri res est vsitata, in quibus Vsurarij publici, fac-
ta sub pignorū cautione, pecuniā suam, sumpto lucro, ad Vsurā
dare solent; ea tamen cōditione, vt pro vno ducato singulis Mē-
sibus tantū quid accipiant; & si tantis elapsis Annis pignorū Do-
minus pro iisdē recuperādis pignoribus, soluta principali pecunia
cū lucro non redierit, actionē, & dominū, quod habebat in his
pignoribus illicō amittant. Istæ autē Domus, Reipublicæ neces-
sariæ sunt, & quamuis Vsurarij vitā vsurariā dimittere velint, a
nō desistēdo à prædictis Vsuris, Iudicis authoritate cōpelluntur.
Queritur, vtrum, si huiusmodi Vsurarij converti velint ad Fi-
dem, possint Baptizari, manendo in suo statu Vsurario, propter
causam supradictam; vel quid nam in tali casu agendum sit?

Consuerunt, Chineses in statu Vsurario permanentes, Baptiza-
ri non posse: si verō Iudicis authoritate cōpellantur ad proprias
pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pig-
nore vltra sortē principālē; tūm ratione oneris, quod subire cō-
gūtur, tū ratione curæ in custodia pignorū; lucri quoq̄ cessantis,
& damni emergentis: tēpore autem præstituto, si ex venditione
pignorū aliquid superfit sorti principali, & lucro ex causis præ-
dictis iustē acquisito; domino pignoris esse restituendum.

Quinto. Vtrum prædictorum Usurariorum filij, si quando in hereditatibus eorum succedunt, iam Christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex Usuris accepit, in toto vel in parte, iuxta malè acceptorum excessum: & si huiusmodi Usurariorum filij heredes, iam Christiani, à Republica, vel à Iudice compellantur ad publicas Usurarum domos patrum aperiendas, & sustentandas; quid in hoc casu Ministri Euangelij, pro sanandis istorum conscientijs, facere debent?

Censuerunt Filios heredes Usurariorum teneri à patribus ex Usuris illicitè acquisita restituere, certis quidem dominis, si certi sunt, sin minus iuxta regulas à Doctoribus traditas. Actualem vero restitutionem à Doctis, Pijs, & Prudentibus Viris esse dirigendam. Quoad secundam partem huius dubitationis, iam responsum est in proximè superiori resolutione.

Sextò. In populis, & ciuitatibus illius Regni mos est imponendi quasdam distributiones, quæ à populis vicinis exiguntur, vt in Pascha noui Anni, in Sacrificijs, & Demonjorū suorū Idololatrijs & Inuitationibus, ac Conuiuijs in eorundem Templis præparatis, simulquè in festiuitatibus, alijsquè indifferentibus pro populi lætitiæ demonstrationibus expendantur. Queritur vtrum Christianis, ac ministris eorū (à quibus etiã tanquã à Populis vicinis postulant) licitum sit, pro nunc saltem, pro huiusmodi rebus contribuere? nam si Christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra Christianos inter Gentiles fiet.

Censuerunt posse Christianos Chineses pecunias cōtribuere, dūmodo per huiusmodi cōtributiones nō incedant ad actus idolatricos, & superstitiosos cōcurrere, supposita causa quæ narratur in dubio; præsertim præmissa, si commodè fieri potest, protestatione, quod imposita tributa præstant in ordine tantū ad populi lætitiã, & ad actus indifferentes, vel saltem cultui Religionis Christianæ non repugnantes.

Septimo. In omnibus illius Regni Ciuitatibus, & Villis, Tépla cuidam Idolo *Chim boam* dicto erecta, ac dicata reperiuntur, quod fingunt Chineses esse Protectore, Regentē, & Custodē Ciuitatis, stabilitaq̃ Regni lege ordinatur, vt omnes Gubernatores Ciuitatum;

uitatum;

uitatū, & Villarū (quos Mandarinos vocant) quando Regiminis possessionem assumūt, & anni decursu bis in Mēse, sub pœna priuationis ab officio, Tēpla adeant præfata, ibique ante dicti Idoli Altare prostrati, genibus flexis, capiteq̄ ad terrā vsque inclinato, Idolū illud adorent, ac venerentur; eidē candelas, odoramentā, flores, carnes, vinūque in Sacrificiū offerant; & cū sui Regiminis possessionē accipiunt, antē prædictū Idolū iurāt, de rectē administrādo; & si cōtra fecerint, se submittūt supplicio ab Idolo infligēdo; simulque ab illo petunt modū, & normā benē gubernādī, & alia huiusmodi. Queritur, vtrū attenda istius Gentis fragilitate, tolerari possit pro nunc, quod tales Governatores Christiani defferant quādam Crucē, quam occultē inter Altaris Idoli flores, vel in manibus proprijs reponant, & facere (intentione, non ad Idolum, sed ad Crucem directā) omnes illas genuflexiones, reuerentias, & adorationes ante Altare illud, exterius tātū, & fictē, omnē cultum interiūs, & in corde ad Crucē dirigēdo? Quia si huiusmodi Governatores cogātur ad hoc nō faciendū, prius apostatabunt à Fide, quā relinquāt officiū Regiminis.

Consuerūt, nullatenus licere Christianis, huiusmodi actus publicos cultus, aut reuerentię tribuere Idolo, prætextu, vel intētionē Crucis, quā, vel manu gestāt, vel in Altari inter flores abscondunt.

Octauo. In prædicto Regno habent Chineses quemdam Magistrum in Philosophia morali litterarum, qui olim discessit à vita, vocatum *Kūn fū cū*, qui ob doctrinā, regulas, & documenta, ad eò in toto Regno acceptus est, vt tam Reges, quā omnes alij cuiuscumque conditionis, & gradus sint, sibi proponunt imitandum, & sequendum, saltem quoad speculatiuum, & tāquam Sanctum venerantur & laudant; in omniq̄ Ciuitate, & Villa, Magistro Tēpla sunt erecta: Governatores vero bis in anno tenentur in eius Templo solenne Sacrificium offerre, Sacerdotis ipsimet gerentes officium; & sine solemnitate, in Annū decursu, bis in Mense; concurruntque cū illo aliqui ex literatis pro administratione eorum, quæ in tali Sacrificio offerunt; quæ quidem sunt, Sus vnus integer mortuus, Capra vna integra, Candelæ, Vinum, Flores, Odores, &c. Item omnes litterati, quando

accipiunt Gradum, debent ingredi Templum istius Magistri; & facere genuflexiones, & offerre ante eius Altare ex Candelis, & Odoribus. Totus iste cultus, sacrificiū, & reuerentia secundū omnium illarum Gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionē pro bonae ipsius relictis doctrinae documentis, atque ut ab eo impetrent, ex ipsius meritis, optimi ingenij, felicitatem Sapiētiae, & Intellectus. Quæritur, Vtrū Gubernatores, qui Christiani sunt, vel fuerint, & Literati, vocati, & coacti possint ingredi præfatū Templum, facere tale Sacrificiū, vel assistere huiusmodi Sacrificio, vel facere genuflexiones ante Altare illud, vel accipere aliquid de Idolotitis, & oblationibus illis, maximè, quia putant illi Infideles, quod quicumque manducauerit ex talibus Idolotitis, habebit progressū magnū in suis literis, & Gradibus; & si portātes Crucē in manibus possint licitè hoc facere, eo modo, quo dubitatione superiori dictum est; quia si hoc illis prohibetur, erit tumultus in Populo, Ministri Euangelij in exiliū mittentur, & conuersio Animarum impiedetur, & extinguetur.

Censuerunt, non licere, nec posse aliquo prætextu contento in Dubio Christianis permitti.

Nono. Inviolabilis obseruantiae mos est apud Chineses, tanquam Doctrina a suprascripto Magistro *Kum-fū cū* tradita, quod in omnibus Chinae populis, Tempa constructa habeant, Auis, & Progenitoribus suis defunctis dicata, & in vnoquoque eorū, omnes qui eiusmodi familiae sunt, bis in anno congregantur, ut præfatis suis Progenitoribus solemnia Sacrificia faciant, magno caeremoniarum apparatu; & in Altari multis Candelis, Fioribus, & Odoribus adornato, imaginem, siue effigiem Parentis, vel Aui defuncti collocant, in quo Sacrificio invenitur, & qui facit Sacerdotis officium, & Ministri illius, offeruntque Carnes, & Vasa Candelas, Odoramenta, Capita caprarum &c. Hoc autē Sacrificium, ex cōmuni illarum Gentium intentionē, dirigitur, ut præfatis eorum Progenitoribus gratias reddant, honorē, & reuerentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta, & ob illa, quae ab eis accipere sperant. Unde ante Altare prostrati, deprecationes multas faciunt, postulantes sanitatem, longā vitam, abundantiam

fructuum

fructuum, filiorum multiplicatione, prosperitatem magnam, & ut ab omnibus aduersitatibus liberetur. Quod quidem Sacrificium in domibus suis, & in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. Quæritur, Vtrum Christiani fidei, & exteriori tantum, ut supra dictum est, possint assistere huiusmodi Sacrificio, vel exercere aliquod ministerium in illo cum Infidelibus commixti, siue in Templo, siue in domo, vel sepulcro, publice, vel priuatim: vel quonam modo hoc poterit permitti Christianis illis; ne si omnino prohibeatur hoc facere, Fidem perdant, vel ut melius dicam, auertant se ab actionibus exterioribus Christianorum?

Consueverunt. Christianis Chinesibus nullatenus licere fidei, vel exteriori assistere Sacrificijs, in honorem Progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscumque ritibus superstitiosis Gentilium erga ipsos; multo minus licere circa præfata ministerium aliquod exercere.

Decimo. Chineses Christiani assueverunt, quod in oblationibus supradictis solummodo intendunt, Progenitoribus suis defunctis illam exhibere reuerentiam, & illa offerre, ac si iisdem uiuentibus exhiberentur, & in memoriam tantum, ac reuerentiam progenituræ, & generationis; & si illi uiui extitissent, eadem illis præferrent, ut illis oblati uescerentur, vel sustentarentur, & ea offerunt absque alia intentione, vel rogatiuarum spe, cum sciât illos mortuos esse, earumque animas in inferno sepultas. Quæritur, Vtrum, si hæc inter Christianos tantummodo fierent absque alio Gentilium consortio, in Templis, domibus, vel sepulchris, ponendo, & collocando aliquam Crucem in Altari præfatorum defunctorum, dirigendo ad illam suam intentionem: ita tamen, quod Progenitorum imagini nihil tribuant, nisi honorem, & reuerentiam, qualem, quæ (si uiui extitissent) illis comestibilibus, & odoriferis rebus exhiberent, ut sic populo satisficiant. Unde, hoc est quod quæritur. Vtrum hoc pro nunc; ut in conuenientia euentur, tolerari possit?

Consueverunt, consequenter ad ea, quæ superius dicta fuerunt, præmissa non posse saluari, siue per appositionem Crucis, siue propter absentiam Gentilium, siue per intentionem, adus de se illicitos,

Citos, & supersticiosos ad cultum veri Dei dirigentem.

Vndecimo. Ad memoriam Progenitorum suorum conseruan-
dā vtantur Chineses quibusdā Tabellis, in quibus nomina suo-
rum defunctorum scripta sunt; quas vocant esse animarū sedes,
existimantes animas defunctorū venisse, & assistere in illis Ta-
bellis ad recipiendum sacrificia, & oblationes: & præfatæ Tabe-
llæ sunt collocatæ in proprijs Altaribus cū Rōsis, Candelis, Lā-
padibus, & Odoramētis, & corā ipsis Tabellis genuflexiones,
orationes, & deprecationes faciunt, expectantque auxiliū ab illis
defunctis concedendū in suis necessitatibus, & laboribus. *Quæ-*
ritur, an Christianis licitū sit, omnibus Gētilijs superstitionibus,
& erroribus postpositis, vti pro nūnc præfatis Tabellis, illasque
inter Domini, Sanctorumque Imagines, & in eodem Altari co-
locatas habere, vel in alio separato, cum ornatu supradicto, ad-
hoc, vt Gentilibus satisfaciant: vel possint facere supradictas de-
precationes, & Sacrificia cum intentione supradicta?

Consuerunt, omninō non licere habere illas Tabellas in verō,
& proprio Altari maiorib⁹ dicato, multō minū deprecationes,
& Sacrificia eis offerre, licet oēalta, & ficta intentione.

Duodecimo, Quando in illo Regno aliquis mori contingat, si-
ue Christianus sit, siue Gentilis, pro inuiolabili more habetur, in
domo defuncti quoddam Altare præparare, in eodēque Imagi-
nem defuncti, seu Tabellā supradictā collocare cū ornatu Odo-
rum, Florum, & Candelarū, retroque cadauer feretro inclu-
sum ponere: omnes autē, qui ad condolendū domos illas ingre-
diuntur, corā preparato Altari, & defuncti imagine, ter, vel qua-
ter genuflectunt, humi se se prostrātes, capitibus vsque ad terrā
demissis, aliquas secū candelas asportātes, & odoramētā cū
preparato illo Altari, corā defuncti imagine consumant, &
cōburantur. *Quæritur,* Vtrū licitū sit Christianis, & precipue Mi-
nistris Sācti Euāgelij, attēto mutuo beneuolētix signo, & amo-
ris, supradicta facere, maximē quando defuncti sunt ex nobilio-
ribus populi?

Consuerunt, Posito, quod Mensa parata sit quædam Tabula,
non autem verum, & proprium Altare; si cætera continentur
intra

intra limites obsequij ciuiliis, & politici, esse toleranda. 177

Tertiodecimò. Quæritur, Vtrum Cathecumenis paratis iam ad Baptismum suscipiendum, debeamus Ministri declarare, & aperte, & in singulari docere, esse illicita Sacrificia, & omnia supradicta, quamuis ex hoc sequatur inconueniëntia, scilicet, desistere à susceptione Baptismatis, persecutiones, mors, vel exilium Ministrorum Euangelicorum?

Consuerunt, Ministros Euangelicos teneri docere, Sacrificia omnia, præterquam soli Deo, esse illicita: cultum dæmonum, & Idolorum esse relinquendum, & quæcumque huiusmodi Cultum concernunt esse falsa, & Christianæ Fidei repugnantia. Ad singularia verò descendendum, proût in Cathecumenis ingenij promptitudo, aut ruditas exiget, alijsque circumstantijs, consuetudinibus, ac periculis perspectis.

Quartodecimò. Chinarum sermone hæc vox (*Xing*) idem est quod Sanctus, sancta, sanctum; & in libris doctrinæ Christianæ à quibusdam sancti Euangelij Ministris prælo mandatis, reperitur ista vox (*Xing*) ad nominandam Sanctissimam Trinitatem, Christum Dominum, Beatam Mariam, & cæteros Sanctos. Quæritur, Vtrum quando in præfatis libris sese offert occasio, vt nominetur Magister Chinarum *Kum fû cù*, vocatus, vel mandatum Regis Chinarum, vel cæteri Reges, qui communiter in illo Regno vt sancti reputantur, cù sint infideles, & Idololatras, possimus né, & sit licitum nobis Christi ministris nominare supradictos hoc nomine (*Xing*)?

Consuerunt non posse aliquid firmari circa vocem hanc, eiusque usum, nisi præhabita cognitione idematis, eiusque veræ, & propriæ significationis. Cæteriùm, si eadem vox in Regno Chinarum præfatis nominem, posse Ministros ea vti: si verò restringatur ad significandum veram, & perfectam sanctitatem, nullatenus posse.

Quintodecimò. In multis Templis Idolorum illius Regni inuenitur vna tabula deaurata, & collocata super vnam mensam, vel Altare, & omnibus ornamentis Candelarum, Rosarum, Odoramentorum munita, & ornata, qua in tabula scriptæ sunt literæ, vel characteres sequentes. *Heàn ty vãn suy vãn vãn suy*. Hoc est.

Viuat

Vivat Rex Chinae ad multa annorum millia : & ante præfata Tabulam mos est inter illos Idolatras sacrificare bis , vel ter in anno , & facere genuflexiones in honorem , & reuerentiã illius. *Quæritur*, si Ministri Christi Domini possimus in nostris Ecclesijs collocare huiusmodi Altare cum tabula , & circumstantijs prædictis , & hoc ante Altare , vbi Sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam ?

Censuerunt, exclusis Sacrificijs , & Altari veré , & proprié dicto , cætera , quæ redolent tantummodo cultum civilem , aut possunt ad illum reduci , permitri posse.

Sextodecimò. *Quæritur*, si in illo Regno licebit Christianis orare , & Sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis , qui in sua Infidelitate ab hac vita discedunt ?

Censuerunt, si veré in infidelitate decedunt , omninò nō licere.

Decimoseptimò. Si tenemur Prædicatores Euangelij prædicare in illo Regno *Christum Crucifixum* , & ostendere eius sanctissimam Imaginem , maximé in Ecclesijs nostris ? *Causa* huius dubitationis est , quod Gentiles scandalizantur ex tali prædicatione , & ostensione , & iudicant maximam esse stultitiam .

Censuerunt , nulla Prudentia , aut prætextu differendam esse doctrinam Passionis Christi post Baptismum , sed omninò præmittendam . Ad actualem verò prædicationem Christi Crucifixi , licet non teneantur Ministri Euangelici in singulis concionibus , sed ad proponendum Verbum Dei , ac diuina Mystera prudenter , & opportuné , & ad illud pro hæcumenorum captu explicanda ; non tamén à sermonibus Passionis Domini nostri abstinere tenentur ea ratione , quod Gentiles inde scandalum sumant , aut stultitiam putent .

Censuerunt etiam conueniens esse , vt in Ecclesijs habeantur Christi Crucifixi , & curandum , vt quoâd opportuné fieri potest , exponantur .

* † * † *

* † *

*



DECRETVM

Sacra Congregationis de Propaganda Fide, habita die XII. Spetemb. M.DC.XLV.



EFERENTE Eminentissimo,
D. Cardinali Ginetto, suprascrip-
ta Quæsitæ, vna cum Responſis, &
Resolutionibus Congregationis
Theologorum, ad eorundem quæ-
ſitorum examen ſpecialiter inſti-

tuta. Sacra Congregatio Eminentissimorum D. D.
Cardinalium de Propaganda Fide, præfata Res-
ponſa, & Resolutiones approbavit: & eadem Con-
ſtitutione ſupplicante, Sanctiſſimus Dominus
ſervandam uniformitatem in Præ-
ſentibus, & futuris, & ſingulis
Miſſionarijs cuiuſcumque Ordinis, Religi-
oſiſſimi, etiam SOCIETATIS IEſu, in
ſinis Sinarum, aut Chinæ pro tempore exiſtentibus,
vel extituris, ſub pœna Excommunicationis La-

ex sententiæ, Sanctitati suæ, & sanctæ Sedi Aposto-
licæ specialiter reservatæ, districtè præcipiendo
mandavit, quatenus præfata Responsa, & Reso-
lutiones diligenter observent, illisque in praxi
utantur, ac ab alijs, ad quos pertinebit, observari,
& praticari faciant, donec Sanctitas sua, vel san-
cta Sedes Apostolica aliud ordinaverit.

A. Card. Capponius, &c.

Loco * sigilli!

Franciscus Ingolus, Secretarius!

Ego infrascriptus Notarius Apostolicus fidem facio, ac
in verbo veritatis attestor, præsens trasumptum impressum,
omniò cum suo originali concordare, nihil deesse, aut su-
perfluum esse, in cuius rei fidem, ac testimonium hanc manu
propria subscripsi, ac solitum meum signum Notariatus po-
sui in ciuitate Gadenſi. Anno à Natiuitate Domini nostri
Iesu Christi millesimo sexcētesimo quadragesimo sexto. In-
diçtione quarta decima: die veronona Mensis Iulij. Pon-
tificatus in Christo Patris & Domini Innocentij, Diui-
na præſidentia Papæ, Anno eius secundo. Vocatus
atque rogatus.

In testimonium Veritatis.

Loco * Signi.

Victorinus
Raymundus
Ord. Prædicat. Notarius
Apostolicus.